



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

**Carolus M. Romanorum Imperator, Et Francorum Rex,
Romano-Catholicus, Libris IV. Explicatus, Et Vindicatus**

Schaten, Nicolaus

Nevhvsii, 1674

Cap. 9. De notis Ecclesiæ.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-99067](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-99067)

gnatur ex illo Proph. Osee vaticinio c. 3. *Dies multos sedebunt filij Israël sine Rege, & sine Principe, sine sacrificio, & sine altari.* Aut si mavis Dan. Prophetam c. 9. *Deficiet hostia & sacrificium, & usq; ad consummationem & finem perseverabit desolatio.* Hic miseræ, & egenæ vestræ Ecclesiæ status est, quæ sine regali Christi sacerdotio, sine Pontifice, ac sacrorum rege, sine sacerdotibus veris, & ministris, sine sacrificio religionis, & hostia immolationis, sine lege, quam fingitis impossibilem, in hodiernum diem conspicitur. Olim filij, nunc peregrini & hospites testamentorum. Eph. 2. Hinc nunc ultra procedimus ad notas Ecclesiæ ut ex ijs planius recognoscas, utrumne apud Catholicos, an apud Lutheranos, aut alias sectas vera Christi sit Ecclesiæ.

C A P V T I X.

De notis Ecclesiæ.

Post Ecclesiæ definitionem, quâ natura ejus & essentia exprimitur, notæ ecclesiæ traduntur, in scriptura & symbolo Apostolico, uti & à Concilijs & Patribus, ex quibus veluti ex proprietatibus exterius se prodentibus, cognoscitur, discerniturque, quis ille visibilis cœtus sit, cui definitio convenit. Id, cum in omni re naturali à Philosophis & Theologis præstetur, tum hic maximè utile, & necessarium est, quando omnes consentient, in sola vera Ecclesiæ veram fidem, veros pastores, verum sacrificium, vera sacramenta, ac salutis præsidia, veram spem vitæ æternæ inveniri. Quemadmodum à Lactantio, quem Treveris aliquando habuit Crispi Constantini Magni filij moderatorem, doctoremque sapientiæ lib. 4. cap. ult. divinarum institutionum est scriptum. *Sola Catholica Ecclesiæ est, quæ verum cultum retinet. Hic autem est fons veritatis, hoc est domicilium fidei, hoc templum Dei, quò, si quis non intraverit, vel à quo, si quis exierit, à spe vitæ, ac salutis æternæ alienus est. Sed tamen singuli quiq; hæreticorum cœtus se potissimum Christianos, & suam fidem Catholicam opinantur.* Inventâ demum verâ Ecclesiâ, invenitur assistentia Spiritûs sancti, promissiones non errandi in fide, Judex controversiarum, verus scripturæ

scripturæ sensus, & infallibilis omnium controversiarum fidei decisio, demum omnia gratiarum dona, quibus Christus & Spiritus sanctus Ecclesiam exornarunt, & fideles ad vitam æternam deducunt. Hinc Apostolitam sollicitè & explicatè Ecclesiæ notas posuere in symbolo: *Credo Sanctam Ecclesiam Catholicam.* Addit Concilium Nicænum, & Constantinopolitanum notam Apostolicam: *Credo unam, sanctam & Apostolicam Ecclesiam,* uti & Patres addidere. In his præcipuè notis Ecclesiæ, se tenent Catholici.

Contra hæretici, qui supra Concilia, ac Patres sapiunt, duas plerumque notas Ecclesiæ statuunt, Prædicationem synceram verbi Dei, & syncerum usum Sacramentorum; ex quibus tamen duo tantummodo retinuerunt, Baptismum & Coenam, re ipsa unum baptismum: coena, tantum opinione illorum sacramentum est, re ipsa, cum sacerdotes veros non habeant, nullum est sacramentum. Ita Augustana Confessio art. 7. Apologiâ de Ecclesia: *Ecclesia habet notas externas, ut agnosci possit, videlicet puram Evangelij doctrinam & administrationem Sacramentorum consentaneam Evangelio Christi.* Ita Brentius in conf. Wittenb. Centuriatores cent. 1. lib. 4. c. 1. ac passim cæteri Lutherani. Has præterea notas Ecclesiæ suæ essentiales statuunt Lutherani. Brochmannus contra Speculum Brand. Diterichus instit. catech. de Eccl. Osiander & ad Analys. Valent. Rudolphus Francus, Joannes Faber, Gerhard. lib. 2. cont. Cath. c. 4. Quibus accedit Nifanius dum scribit: *Verus Ecclesiæ cœtus monstratur, in quo vera religio purè, rectusque Dei cultus exercetur publicè.* Imò tanquam omnibus Lutheranis sapientior, Lutherani inquit, *verbum Dei unicam & perpetuam constituunt notam Ecclesiæ.* Reijcit deinde cæteras notas, quibus Catholici suam Ecclesiam demonstrant evidenter credibilem. Tam illi certè sunt de his duabus, aut unâ etiam notâ Nifanius, cum nihil insulsius magni illi reformatores Ecclesiæ, & novi Theologi nobis proponere possint.

Ratio I. est. Quia nota debet esse propria veræ Ecclesiæ, & non communis; atqui prædicationis verbi Dei, & sacramentorum administratio, non est propria, ergo Minor constat; quia has notas omnes priscæ, & novæ hujus sæculi hæreses sibi vendicant, & per has suâ saltem opinione suam quæq; Ecclesiam monstrat, uti Calvinus facit lib. 4. c. 1. Willettus in synopsi, alijsque. At dicunt Lutherani illos non attigisse puritatem

& sinceritatem Apostolicæ doctrinæ. Imò verò, inquit illi, purissimam apud se doctrinā reperiri. Ideo se Puritanos, & Reformatos appellant. Idem Zwingliani, Arminiani, Anabaptistæ, & Labbadæus vester, sibi vendicant. Proferant ergo Lutherani vel unum argumentum, quo hoc evincant, non tam contra Catholicos, qui has easdem notas sibi vindicare possent, quàm contra sectas hujus ævi. Imò, si largiamur hanc puritatem doctrinæ, ac notas esse apud Lutheranos, quæritur postremum, apud quos Lutheranos sint, rigidosne an molles, utrumne apud Melanthonianā, Brentianam, Saxoniam, Anhaltinam, Flaccianam Ecclesiam? an apud eos, qui Calixtum sequuntur? Hic novum Labyrinthum ingrederis.

Ratio altera est. Nota Ecclesiæ debet esse sensu externo perceptibilis, quia symbolum est Ecclesiæ, ac proinde notior esse debet, quàm res ipsa, quam significat. At illa nota non est notior, quia est pars essentialis Ecclesiæ à vobis data, quam definitis esse congregationem fidelium, in qua sincerè verbum Dei prædicatur, & sacramenta administrantur, & mox hæc ipsa duo inter proprietates, & notas Ecclesiæ ponitis, quæ simul sunt differentia. Nonne hoc est petere principium? Nam si quis quærat, quæ sit illa Ecclesia, in qua hæc essentialia reperiantur, respondetis, esse has ipsas notas, prædicationem videlicet verbi Dei, & Sacramentorum administrationem. Hic tu Nisani, qui tantus es provocator, nos expeditas. Simile est, si quis Catholicus à Lutheranopetatur, ubi consul habitet, ubi campana sonet, ubi sit incendium, & is respondeat consulem habitare in domo sua; campanam sonare, ubi malleus pulsatur; incendium ibi esse, ubi domus conflatur. Similia hic ludibria facitis populo. Constituamus hominem aliquem, inquit Valent. in aliquo corpore, in quo nec humana figura, nec ulla hominis operatio notetur. Possitne ex sola hac definitione: *Homo est animal rationale*, demonstrari? Nemo sanè id facere posset, nisi, aut Deus, aut Angelus sit. Quocirca per alia signa primùm Ecclesia demonstranda est, quemadmodum Catholicifaciunt, nimirum per notas ab Apostolis, & Conciliis in symbolo positas. Inde nec ex sua definitione Ecclesiæ id præstant. Qua super re Valentiam de Ecclesia, Tannerum in demonst. & disp. de fide, q. 3. dub. 3. Bellar. Staplet. aliosq; Theologos consule. Hinc benè de Hæreticis Augustinus lib. 2. de peccato orig. c. 22. *Catholicam Ecclesiam multis*

multis modis cognosci, hæreticos verò nihil habere veritatis præter pollicitationem. Id vel unico argumento evincit Erbermannus. Si enim Ecclesia illorum vera est congregatio fidelium, in qua purè docetur verbum Dei, & Sacramenta administrantur, ergò vel per mille annos ante Lutherum habuit illa congregatio illas duas notas, vel non habuit; si non habuit, ergo falsum est eam fuisse veram Ecclesiam; si habuit, vel ergo ostendant nobis aliud ministerium verbi, & sacramentorum, quàm Pontificium per mille annos; vel fateantur hoc pontificium fuisse purum & legitimum ministerium. Præsertim cum Augustana conf. art. 7. doceat: *Oportere semper Christianam Ecclesiam manere.*

Opponunt hic alij: Ecclesia est mater nostra; mater autem vera cognoscitur dum parit, lactat & pascit filios, hæc autem Ecclesia præstat generando per baptismum, pascendo doctrinâ, nutriendo per sacramenta. R. Hoc ipsum est in quæstione, quænam sit illa mater. Parit Catholica Ecclesia per baptismum, parit & hæresis per baptismum, sed non suum: cum Catholice Ecclesie sit baptismus ille, pascit per doctrinam, sed corruptam & falsam; nutrit per sacramenta, sed quæ præter baptismum aut nulla, aut inania sunt. Quare Augustinus lib. 3. cont. Donat. c. 9. de hæreticis: *Scripturas & sacramenta tenent ad speciem, non ad salutem, ideoq; per Ezech. c. 6. fornicaria dicitur omnis hæresis.* Perdix inquit Jeremias 17. *Congregat quæ non peperit faciens divitias non cum judicio.*

Admittamus hanc matrem fornicariam ex senio Ecclesie parientem. Ubi illam reperiemus? Vtrumne apud vos Lutheranos, an Calvinistas, an Zwinglianos, an Puritanos in Anglia, an Arminianos in Hollandia, aut in qua demùm Lutherana secta. Hoc à Nifanio vellemus doceri ex Salomonis alicujus judicio, qui pugnantes de filio matres diremit; sed vide, ne gladio hoc facias, quod ex verbo Dei scripto requirimus.

Opponunt II. Notæ Ecclesie petendæ sunt ex scriptura, quæ notior est, quàm Ecclesia. At scriptura nos ad prædicationem verbi Dei, & sacramentorum administrationem tantum remittit. Hic, ego vellem, scripturæ locum recitares, qui ad duas, & solas illas notas nos remittat. Imò Patres hoc faciunt, inquit Chrysost. hom. 49. in Matth. *Qui vult cognoscere, quæ sit vera Ecclesia Christi, unde cognoscat, nisi tantummodo per scripturas.* August. 166. *In scripturis didicimus Christum, in scripturis didicimus*

didicimus Ecclesiam. Et lib. de unitate Eccles. quem nobis hic Nifanius adducit. *Quaestio inter nos versatur, ubi sit Ecclesia, quid ergo facturi sumus? an in verbis nostris eam quaesituri, an in verbis capituli sui? puto quod potius in illius verbis eam quaerere debeamus.* R. Si in scriptura solū Ecclesia quaerenda, quorsum ergo Apostoli in symbolo nobis tot notas Ecclesiae dederunt? cum ne ipsum quidem nomen Catholicum in scriptura sacra reperiatur. Quorsum Concilia unam sanctam Catholicam & Apostolicam Ecclesiam tam explicatē designarunt? quas notas Lutherus tam subdolē declinavit, quā corruptē ceteri inverterunt, aut passim in alium sensum detorserunt.

R. II. Si in scriptura tam clarē demonstratur Ecclesia, qua cecitate ab ipsis Novatoribus tam diversae, & discrepantes Ecclesiae introductae, & tam pertinaciter inter se digladiantur? Quare quaelibet haereticis in tot sese divisit sectas? Verbo igitur respondit Bellarmin. lib. de Eccles. c. 2. Ex scriptura probari, ubi sit, non tanquam ex nota, sed quia scriptura docet, quae sint notae Ecclesiae, dum docet qualis illa sit, ubi coeperit, quomodo creverit, & id ipsum docet, quod Apostoli, & Concilia in symbolo per notas à se positas, Ecclesiam videlicet esse Vniversalem, quae toto orbe fundenda sit. Hoc illud, quod Augustinus ex scriptura contendit tantoperē, docetq; lib. de Vnit. Eccles. tam fusē, Ecclesiam non in sola Africa quaerendam. Vnde lib. i. contra Parmenianum, c. 1. *Ticonius, inquit, omnium sanctarum paginarum vocibus circumfusus evigilavit, & vidit Ecclesiam Dei toto orbe diffusam,* quam cæci Lutherani nondum vident, maluntq; ut Donatistae in parte Africae, ita illi in parte Saxoniae Ecclesiam recens natam ex cunis quaerere.

III. Vrgent. Saltem scriptura notior est, quā Ecclesia; cum ex ea probetur Ecclesia, tanquam ignotius ex notiore. Respondet Bellarminus, Ecclesia prior est scriptura, cum ante eam fundata sit, & simpliciter notior, quā scriptura, cum per pastores & doctores explicetur. Ex hypothesi tamen, quando quaestio est de Ecclesia, & scriptura est recepta, clarēque loquitur, ex scriptura Ecclesia demonstratur; & contra, quando quaestio est de obscuro scripturae loco, aut controversia fidei, & Ecclesia est recepta & nota, tum ex viva voce Ecclesiae scriptura explanatur. Neque hic circulus est, ut fingunt haeretici, quando probatio à notis ad ignota, vel à concessis ad inconcessa procedit. Vti hac super re

Becanus

Becanus lib. 3. c. 10. & Philosophi omnes. Et quorsum auctoritas Ecclesiæ? quam audire jubemur; quorsum tot Concilia adversus hæreses? quorsum iudex controversiarum? nisi ut eas hæreses, quas ex scriptura hæretici protulerunt clarè, & infallibili iudicio ex verbo Dei tam scripto, quàm tradito deciderent.

CAPVT X.

Prima Ecclesiæ Nota, Unitas.

HAnc Notam & proprietatem veræ Ecclesiæ nobis magna illa synodus Nicæna, & aliæ subsequentes in suis symbolis dederunt. Vnam videlicet, Sanctam, Catholicam, & Apostolicam Ecclesiam profitendo. Nec aliter in scriptura Ecclesia unum corpus dicitur. 1. Cor. 12. v. 13. Roman. 12. v. 5. Coloss. 3. v. 15. Ephes. 4. v. 4. *Vnum corpus & unus Spiritus.* Idcirco v. 1. subjungitur. *Vna fides, unum baptisma, unus Deus & Dominus.* 1. Cor. 10. v. 17. *Vnus panis & unum corpus multi sumus.* Ita unus Pastor & unum ovile, una sponsa, una est columba mea. Cant. 6.

Non alia Caroli M. Confessio de Ecclesia, in Epistola ad Hispaniæ Episcopos schisma meditantes, Tom. xx. Concil. Gener. *Prædicamus unam sanctam Dei Ecclesiam toto orbe diffusam, locis separatam, fide & charitate conjunctam.* Hanc ille, ut mentem suam planius declararet, adversus hæreticos inter cætera inquit: *Perfecta quam habemus in Christo caritas nos conjungere gaudet, non spargere, adunare, non scindere, & inconstitem Salvatoris nostri tunicam integram servare.* Quemadmodum Christus aliquando Petro Alexandrino Episcopo scissâ veste se obtulit videndum, rogatusque ab Episcopo, quis hanc tunicam ita lacerasset? responsum est à Christo: Arius hoc fecit, Ecclesiam meam lacerando per hæresim suam. Hinc & Carol. 1. 5. Capitularium Tit. 166. *Ecclesiam unum corpus profitemur, ex adductis Apostoli locis.*

K

Multis